



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XVII. Libelli de Lipsiensi disputatione vulgati, & nonnulla circa eos  
expensa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

1519.

## C A P V T XVII

*Libelli de Lipsiensi disputatione vulgati, & nonnulla  
circa eos expensa.*

**L**utherus, eiusque fautores, varios huiusc conflictus commen-tarios edidere; qui triumphi quidem epinicia præferunt, sed si attentius legantur, infelicitas pugnae agnos-cun-tur. Conqueritur Melanchthon in quadam ad incertum epistola, & in altera ad Ioannem Oecolampadum hæreticum (de quo mox sermo habendus est) Eckium, reliquæ potissimâ Lutheri thesi, affir-mante, Liberum arbitrium sine gratia nihil nisi ad peccandum va-lere, declinasse ad eam quæstiōnem. An arbitrium sit causa efficiens, an solum patiens actus honesti. Additque, oportuisse de primaria thesi disceptare, quando Scholastici, quorum vniuersè doctrinam Eckius propugnabat, communiter admittunt, posse liberum arbitrium per suas vires meritum congruum obtinere, in quo Scholasti-cos communiter consensile affirmat pariter Lutherus in sua huius disputationis narratione ad Spalatinum, excepto Gregorio Arimi-nensi, quem solum ait cum S. Augustino & cum S. Paulo sentire. Verum stupore perfunditur mihi animus, tam intrepida Melanch-thonis ac Lutheri effata lustranti. Enimuerò, num hæc sit commu-nis doctrina Scholasticorum, vt isti pronuntiant, an tantum quo-rumdam peculiaris, est in comperto cuicunque eorum scriptis af-fuetio. Nec difficulter equidem hic palam id ostenderem, si per ar-gumentum suscepimus licet in re adeò explorata diutius moran. Nec sane redarguebat Eckius, quidquid Lutherus ab aliquo Scho-laisticorum dissentiret, cùm liceat in pluribus quæstiōnibus eas si-bi inuicem aduersari: redarguebat id quod sentiebat opponi Ec-clesiæ sensis, & vnamimo Scholasticorum consensui; vti hoc ipsum solum posteà & à Leone & à Tridentino Concilio damnatum est.

Derident Melanchthon & Carolostadius Eckij responsū, quo-  
aiebat honestam operationem esse totam à Deo, sed non totaliter;  
& autumant hic se didicisse, quid sit sophistam agere, operam per-dere, nouisque pro libidine distinctiones comminisci. Impudens profecto mendacium, vel enormis inscitia! Cuius vñquam aures,  
sicuti Eckius in quadam breui defensione sua loquitur, adeò hebe-tes aduenia in schola, vt millies non audierint hanc fundatissimam  
distinctionem, cùm dicimus totam generis naturam, exempli gra-  
tia, animalis esse in quacumque specie, sed non totaliter; cùm insit  
etiam



etiam in ceteris speciebus: à Beatis videri Deum *totum*, sed non *totaliter*; quia ab iisdem non comprehenditur pro immensitate diuinæ essentia: animam esse *totam* in pede, sed non *totaliter*; quod reliqua corporis membra pariter informet.

3 Ludos etiam facit insulsè mordax Lutherus, se tot sumptus disputationi Lipsiensi impendisse, ut addisceret, Pontificem Romanum non esse quidem *Episcopum Vniuersalem*, esse verò *Ecclesiæ Vniuersalis Episcopum*. Et tamen satis est literas nosse, ut quis perspiciat eam distinctionem esse omnino ex mente illorum Pontificum, qui titulum *Episcoporum Vniuersalium* recularunt; cum adduxerint pro ratione, posse inde videri, ceteros non esse Episcopos. Idcirco nobebant sibi eam appellationem, quæ præferret, Romanum Pontificem, vii est Romæ, itidem esse cuiusvis alterius Ecclesiæ Episcopum: haud contrà negarunt, eum fuisse Ecclesiæ Vniuersalis Episcopum; videlicet quatenus ea non consideratur in variis Dioceses partita, sed accipitur ut una, vnumque caput adspectabile postulat à quo regatur. Nec huius in communi sermone discriminis exempla desunt: Metaphysica haud nuncupatur Scientia vniuersalis, sed scientia quædam peculiaris rerum *in vniuersali*: è diuerso, Diuina cognitio est scientia vniuersalis rerum omnium *in peculiari*.

4 Hic per ludibrium argutatur Lutherus, ex æquo negari posse, codem temporis momento de uno eodemque homine, esse Moguntinum Episcopum, simulque concedi, eumdem esse Episcopum Moguntiæ. Sed quid ille, si in huiusmodi etiam formulæ nominandi, titulisque deferendis eluceret sibi constans ea distinctione, quam ipse tamquam ridiculam per exempla traducit? In promptu res est. Duo Patriarchæ Constantinopolitani eliguntur, alter Græcus, alter Latinus. Poterit ergo Latinus dici vere esse unus ex Patriarchis Græciæ; non item dici poterit idem esse Græcus Patriarcha. Quin harum rerum exempla affatim suppetunt. Carolus Magnus fuit Germanorum Princeps, & nihilominus non est certum fuisse Principem Germanum. Rex quoque Hispaniæ numeratur esse quidem inter Dynastas Italiam, sed non adeo propriè inter Italicos Dynastas. Ad summum, despexitus Aristotelis facultatisque Scholasticae efficit, ut homines ingeniosi atque eruditi, quales erant Lutherus & Melanchthon, in confutationibus subtile cum sophistico malè confuderint, ideoque tam verbo quam scripto rationes adhibuerint, populo magis quam sapientibus accommodatas. Hinc est quod eorum secta haud in magno sit pretio, &



1519. inter illius asseclas ægrè recenseri possint præstanti admodum intelligentiæ scriptores.

*De Eckio aliter Lutherus, aliter Melanchthon pronuntiant. Ille semper probris infestatur, quasi hominem, cuius lingua diues quædam esset inepiarum fodina: hic fatetur, in altercatione Lipsie ipsorum plerisque fuisse admirationi Eckium, propter varias & insignes ingenij dotes.*

Verumtamen infructuosus euentus illius disceptationis palam comprobat non æquitatem modò, sed etiam prudentiam Legati in repellendis Lutheri postulationibus iteratis, huiusmodi doctrinæ suæ experimentum vrgentibus, cùm ex dimicazione Lipsiensi compertum fuerit, nihil aliud in Luthero per eam confectum, nisi quod tenacius inhæreret contumacia, veritus ne per mutatam sententiam videretur non obtemperasse Pontifici, sed succubuisse aduersariis, atque uti conquereretur de Lipsia Vniuersitate, ipsoque Duce Georgio indignis modis, tamquam de inquis arbitris in prescribendis ratione legibusque certaminis. Porro in ceteris efficit, ut acta huiusmodi conflictus euulgata, pro eo ac variant hominum ingenia, aliquos in dubitationem adducerent circa eos articulos, quos anteà pro compertis recipiebant, dum quedam ex argumentationibus vel solutionibus Eckij minus inexpugnabiles videbantur; cùm sibi persuasissent, in eius lingua coactum in compendium, quidquid esset in Ecclesia rationum. Hisce tamen detrimenis aliquid commodi fuit intermisum: patuit namque, quād audacter Lutherus in Sedem Romanam perduellē se gesserit, & commune Scholasticorum iudicium irriserit. Cūm enim habetur disputatio, non quidem rationibus, quas cauillationes appellabat, sed merā auctoritate sacrae Paginæ, ac Patrum, in qua se triumphare gloriabatur; ab ea tamen in extremas redactum angustias haud semel manifestò se senserat.

### C A P V T XVIII.

*Nova Miltitij studia, quibus Lutherum reuocaret;*  
*eorumque exitus.*

**N**ondum tot pressus difficultatibus animum desponderat Miltitius, quin alias iniret vias ad recuperandum Lutherum, per duos ferè annos in ea procuratione consumptos, nec itinerum labore defatigatus, nec repulsarum pudore deterritus. Dignus profectò non mediocri laude, nisi eam obscurasset, non